

Dandulo Doctore , & Equite , consilii Sapiente , ac Hieronymo Pesareo , & Francisco Superantio continentis Præconsul-toribus improbabatur , quibus nulla ratione Insubribus defendendis Rempublicam obstrictam esse placebat , ni prius in illorum possessione Sfortia esset ; neque ullam de Neapolitani regni subsidiis mentionem fieri . Adhuc enim suspecta apud multos consilia Cæsaris erant , pacisque obtentu moras trahi , opes Reipublicæ assiduis impensis labefactari , nil sincerum , ac simplex , omnia tecta , & simulationis plena ; cum a Nanio Legato Senatus certior fieret , hostes de Soncini , atque Urceorum novorum oppidis aggrediendis consilia habere , ac Paulum Luzzascum timere , ne in Bergomensem agrum ad prædas agendas se conferrent . Quocirca Nanio injunctum est , ut cum Urbinate de agris custodiendis , ac de hostibus repellendis ageret , cum Germanos Padum transituros , secumque duo millia Hispanorum peditum ducturos , vulgatum esset ; attamen , auditis ea de re sententiis , in superiorem Senatusconsultum factum est .

Eodem tempore de Francisci Sfortiæ rebus agebatur , totumque negotium Clementi Cæsar permisit . Patres Contareno legato , ut Pontifici enixe Sfortiæ res commendaret , juf-sere ; quamprimumque Mediolanum illi restitueretur , sedulam operam navaret . Quingenta aureorum millia , ut diplo-mate Insubrum titulos ab Imperatore reciperet ; ad hæc trecenta aureorum millia pro belli impensis postulabant : tres præcipuas Insubrum arces cautionis nomine petebant . Sfor-tia hac de re Senatum consuluit : ex illius decreto Marcus Antonius Venerius ita respondit : minime probare , ut arces Cæsari pro pignore traderentur : hoc enim illius auctorita-tem valde imminutum iri ; populos bellis , atque calamita-tibus attritos ægre passuros , sperato se post tot ærumnas fru-ctu fraudari ; nec sine magna difficultate Cæsari pecuniam persoluturos . Sed cum Sfortia id impetrare non posset , ut apud Pontificem deponerentur , flagitabat . Negabat Cæsar , ne si quid humanitus Pontifici accidisset , alterius fidem experiri conaretur . Eo tandem post multa ventum est , ut Sfor-tia Mediolanensem , ac Novocomensem arces in manus Cæ-saris tradere decreverit : intra anni spatium trecentis aureo-

Cæsaris cō-filia Veno-tis suspecta.

Cæsar pro Mediola-nensi diplo-mate ingen-rem pecu-niam & tres Insubrum arces pen-tit .

rum